



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Exemplorum Libri Tres

Liber Tertius, Sive Exempla Divinae Irae, Per Opera Poenitentiae, Nobis  
Leniendae - Per Quadragesimam Anno M. DC. XLVIII. narrata

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

Capvt VII. Rhemensium exemplo nos instrui, quo modo pro peccatis  
nostris vel satisfacere, vel satisfaci debeamus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48194)

git illecebras, ut eum inescet. Non erubescit suam culpam accusatam, qui ita eam accusat, ut alterum faciat erubescere audientem. Quem pudet peccasse, modestè fatetur delicta, non facundè; & sua, quod peccavit, verecundia plectit, non aliena. *Qui per vos peccastis, per vos erubescatis. Erubescencia enim ipsa partem habet remissionis*, ait S. Augustinus. *Ex misericordia enim hoc precepit Dominus, ut neminem pœniteret in occulto. In hoc enim, quod per se ipsum dicit sacerdoti, & erubescenciam vincit, timore offensi fit venia criminis.* Non fit autem venia, nisi culpam suam agnoscat, & apud se ipsum erubescat, non tamen ita erubescat, ut sacerdoti occulat. *Hac sunt vera humilitatis testimonia*, ait S. Gregorius, & *iniquitatem suam quemq; cognoscere, & cognitam voce confessionis aperire, non excusare, non extenuare, non in maritum aut uxorem, aut socium rejicere, sed totam conscientiam reuelare integrè, sincerè, simpliciter, ut ita illam peruideat Confessarius, sicut inspicit Deus.* Est quidem Deus omnipotens, & nullum non potest peccatorem saluare; sed qui creauit te sine te, & redemit te sine te, non tamen etiam saluabit te sine te. Tua vera confessio debet adesse, si vis diuinam potentiam & misericordiam tibi non deesse.

S. Augustin.  
lib. de ver. &  
fals. pœnit.  
cap. 10.

S. Greg. l. 22.  
Moral. c. 13.  
& 14.

C A P V T VII.

RHEMENSIVM EXEMPLO NOS  
INSTRVI, QVO MODO PRO PECCATIS NO-  
STRIS VEL SATISFACERE, VEL SATISPATI

DEBEAMVS?

I.  
HISTORIAR  
AVTHORES, ET  
CAVSSA CLA-  
DIS  
Oth. Fris. l. 4.  
cap. 28.  
Sigebert. in  
Chron. An.  
453. Nicol.  
Olaus in  
Attila. Vinc.

**H**istoriæ, quam percensebo, complures meminerunt in-  
signes authores, Otho Frisingensis, Sigebertus, Nico-  
laus Olaus, Vincentius, Paulus Diaconus, & alij. Cir-  
ca annum Christi Seruatoris 453. cum Gallia maximè floreret,  
vitia quoque cum fortuna inualuerunt. Primùm avaritia, per  
varias inuentiones ac titulos, ingentes opes cumulauit. Postquam  
diuitiarum habuerunt satis, neque vlla fuit laborandi necessitas,  
otio se se dediderunt Galli: non iuuentus litteris, non aduiores  
negotijs se se occupauerunt, sed tota cura fuit in nouo vestium  
ornatu,

ornatu, nouisq; delicijs excogitandis. Agebantur conuiuia, colebantur gynæcea, deserebantur templa; ventri, saturitati, voluptati passim seruebatur. Denique postquam in eo regno Superbia vitæ, & concupiscentia carnis dominatum tenuerunt, crescente semper malitia, peruentum est, vt S. Antoninus scribit, vsq; ad Sodomiticam perversitatem. Sole occumbente, nocti sua sidera accendit Deus. Ita tunc in Gallia, virtute obscurata, duo voluit esse præstantissima lumina, quæ populo viam salutis amissam demonstrarent. Quippe clarebant tunc in Gallijs S. Nicasius Rhemensis ciuitatis Episcopus ac postea martyr, itemq; S. Anianus Aurelianensis Episcopus, magnis ambo virtutibus insignes. Hi duo, tamquam malarum ouium boni pastores, facile videbant contagium, neque tacebant, sed identidem clam, palàm, publicè & priuatim monebant omnes, vt à tam scelerata vita desisterent, atque ad Deum, per poenitentiam redirent; neq; fluxam hanc homineq; Christiano indignam viuendi rationem, cælestibus anteferrent. Verùm quia difficile est assueta relinquere, & in media vanitate diuina æstimare, nihili tunc Gallia duorum tam illustrium Præfulum autoritatem, nihili sanctitatem, nihili assidue iteratas monitiones faciebant. Nimirum vt dosium aqua plenum, non potest alium vllum admittere liquorem, quantumuis pretiosum; ita surdis canitur auribus, quas iam illecebræ turpes occupauerunt.

Sed mirum est, homines delicatos, alioqui tam sollicitos, ne quod conuiuium, ne quam choream, ne spectaculum vllum iucundum negligant, hîc obsurdescere, cùm clamatur, periculum esse æternorum gaudiorum amittendorum. Neque verò ab hominibus dumtaxat clamatur, sed altissima vox est ipsa patientia, & longanimitas Dei, conuersionem peccatoris tam diu expectantis. Quo argumento vtitur Propheta Ioël, dum ait: *Conuertimini ad Dominum Deum vestrum: quia benignus & misericors est, & patiens, & multa misericordia, & prestabilis super malitia.* Habebat mille irascendi & puniendi causas; & iram continuit, distulit poenam. Immò in ipsa ira clementer cogitauit, iuxta illud: *cùm iratus fueris, misericordia recordaberis.* Nam, vt olim Abrahamo celare non potuit Deus id, quod facturus erat Sodomitis,

spec. histor.  
l. 21. cap. 37.  
Paul. Diac.  
lib. 14. in  
Theod. iuniore, & 15. in  
Martia. Sur.  
tom. 7. 14.  
Decembr. ex  
S. Antonin.  
p. 2. c. 8. tit.  
xi. §. 1. &  
seqq.

II.  
PRAEMONITIONES  
DIVINAS.

Ioël. 2. 13.

Habacuc. 3. 3.  
Gen. 18. 17.

mitis, dans occasionem illi, ut pro eis oraret; ita Sancto quoque Nicasio reuelavit Deus, longè antè, se Gallias dissipaturum, causasque aperuit. Quod ipsum imminens exitium D. Nicasius Gallis prædixit, vehementer eos adhortatus, ut à vijs suis pessimis recederent, & ad Dominum Deum suum conuerterentur. Sed inueterati in malis, non credunt, quidquid eis mineris, aut certè non curant. Itaque & Galli neque S. Nicasium, neque S. Anianum acriter monentes audire voluerunt, aut eorum mandatis auscultare; iram sibi diuinam semper magis ac magis thesaurizantes. Porro quid sit vel paucos pios esse in ciuitate, aut pro ciuitate patronos, etià in Abrahamo diuinæ litteræ declarauerunt. Nam si vel decem iusti in Sodomis fuissent, deprecante Abrahamo, propter decem iustos Deus omnibus Sodomitis pepercisset. Ad eundem modum ob S. Nicasij & S. Aniani merita ac preces, ira indignationis Dei diu fuit dilata, signis multis de cælo ostensis, & cometa, terræque motu præunte.

III.  
PER ATTILAM  
PVNIXI GALLI.

Dilatâ, inquam, non ablatâ, nam sicut torrens, vbi repagula perrupit, fortiùs ruit; ita furor Domini collectus diu, erumpit vehementiùs. Nam per Attilam Hunnorum regem iudicium Dei, ait S. Antoninus, se longè lateq; effudit, quem quasi gladium limatum, & exacutum de vagina sua indignationis super gentes peccatrices Deus distrinxit. Attila quippe Valamiris Ostrogothorum regis, & Andarics Gepidarum regis, & multarum Aquilonarium gentium sibi subiectarum auxilio fultus, ut ait Sigebertus, à Pannonijs egressus, occidentale Imperium inuasit, cum quingentis millibus armatorum. Et primò per rotas Gallias per eos tanta efferbuit Dei indignatio, ut nullam omnino ciuitatem, castellum, vel oppidum, aliqua a furore eorum potuerit tutari munitio. Vos ipsi cogitate, si exercitus non hostilis, non quingentorum, sed triginta, aut quadragintamillium dumtaxat, per nos transeat cum tanto exitio, quid factum esse necesse est, quando Attila cum quingentis millibus per Occidentem transiuit? Et Attila, qui capitali odio Christianos omnes, velut Deorum suorum inimicos, & moribus suis contrarios delere cupiebat. Quanta tunc in omni regione fuit depopulatio, deprædatio? quot pagi & campi cadaueribus pleni fuerunt? Quàm multi in ædibus suis combusti? quàm multi strangulati?

Cap. VII. Rhemenſium exemplo demonſtratur, quid poſſit ſatisfactio. Regu-  
 lati? quàm multi, qui gladium effugerunt, in montibus & ſil-  
 uis fame enecti perierunt? Sic Deus etiam in hac vita plectit  
 peccatores. Nonne ſatius fuiſſet S. Nicaſium, & S. Anianum,  
 audire, & faciem Domini præoccupare in confeſſione? quæ  
 poenitentia aut tam acerba, aut tam fuiſſet vniuerſalis? Ita con-  
 tingit illis qui poenitentiam vel non agunt, vel differunt. Et lon-  
 gè grauius quiddam continget illis, qui poenitentiam differunt  
 in alteram vitam, exiſtimantes ſe illa ſupplicia faciliùs toleratu-  
 ros. Utinam non multi ex hic præſentibus in eadem naui vehe-  
 rentur, qui ſi vitam dudum emendaſſent, ſi poenitentiam ſeriò  
 egiſſent, non jam iumenta, domus, villas, & omnia ſua incendijs  
 aut direptione perdiſſent.

Quamquam illa, ſi perierunt, non poſſunt recuperari; poſ-  
 ſunt tamen in grande lucrum conuerti; quod nos docuit S. Ni-  
 caſius. Obſidebatur ciuitas Rhemenſis, & ab Attila acriter op-  
 pugnabatur; poſtquam alij in montes fugiſſent, alij, qui reman-  
 ſerant ciues, vltimo demum ſubuerſionis die, hoſtibus circum-  
 quaque moenia ſcandentibus, aut, vt ſcanderent, nitentibus, ter-  
 rore percuſi, ad S. Nicaſium in oratione proſtratum cucurre-  
 runt, interrogantes, quidnam ipſe ſuaderet; ſatiusné eſſet, ſerui-  
 tuti gentium ſe ſe tradere, an vſque ad mortem pro ſalute vrbis  
 dimicare? Ibi Nicaſius, diuina reuelatione edoctus, vrbem in ci-  
 uibus funditus euertendam, in hunc modum populum eſt affatus:  
*Numinis hac eſt indignatio, & ciner; iuſſum Dei iudicium, ſcleribus  
 veſtris debitum. Dudum peccata veſtra diuinam iram prouocauerunt.  
 Monui, rogavi, prædixi omnia. Nihil effeci. Nunc Deus punit. Cincti  
 ſumus. Non eſt modus, non rima euadendi. Ergo id agamus, ex neceſſi-  
 tate faciamus virtutem. Flagellum diuinum vt remedium, non vt ſup-  
 plicium accipiamus. Nam verumq; poſſumus. Agnoſcamus nos me-  
 ruiſſe, quod patiemur. Poenitentiam agamus, & quidquid nobis graue  
 acciderit, feramus non inuiti, ſed prompti ac libentes; vltioni, non co-  
 acti; compuncti, non compulſi; patientes, non deſperantes; Deoq; cum  
 ſpe ſalutis pro debito noſtro offeramus. Oportebat quidem hac mala am-  
 teneriſſe, quando dixi: Convertimini, & agite poenitentiam ab omni-  
 bus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruina iniquitas. Sed non  
 audisti me, ideo venit ſuper vos indignatio. Quid igitur aliud ſuper eſt,*

M

niſi vſ

IV.  
 S. NICASIVS  
 DOCT. POL-  
 NAM MERI-  
 TAM IN RE-  
 MEDIUM SA-  
 LVTIS CON-  
 VERTENDAM

lell. 1. 12.

90 Cap. VII. Rhemensium exemplo demonstratur, quid possit satisfactio.

1. Cor. 11. 30.

Vide Conc.  
Trid. sess. 14.  
de pœnit. Sa  
esam. c. 9.

nisi ut flagellū Dei, tamquā filij à patre suscipiamus? ut dum nos punit, sancti. Id ergo agamus, ut ipsa mors præsens non supplicium nobis fiat, sed remedium. Ita & D. Paulus scribit, multos indignè communicantes corpori Domini morte panitos. Ideò, inquit, inter vos multi imbecilles & dormiunt multi: quos ante mortē Deo reconciliatos fuisse idem Apostolus non tacuit, addidit enim: A Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Nec dubitandū est, nos per Christum satisfacere posse adhuc, patienti toleratione flagellorū à Deo commissorum. Si agnoscamus, nos ea meruisse, si ea libentes perferamus; & præsertim ab Actila tamquam Christianis illata, Christi nomine amplectamur; si denique instantius oremus pro inimicis nostris, salutem illis optantes tamquam amicos. Ita & pro peccatis nostris faciemus, & martyri coronam reportabimus.

V. I.  
S. NICASII  
MARTYRIUM

His, atque alijs talibus dictis adiecit S. Nicasius, se quoque, tamquam partem, pro ouili suo paratam esse ad mortem oppetendam. Aderat & germana soror eius Eutropia, quæ & ipsa, expansis ad cælum manibus, plebem, quantis maximis poterat & verbis, & viribus hortabatur, eam ad pœnitentiam, tum ad martyrii coronam non negligendam. Dum hæc frater & soror ad populum inflammandum differunt, ecce hostis muros superat, & repente furibundus paganorum impetus, infesto agmine irruit, horridono ululatu, quali victores vii solent, insultatione pleno. Nicasius igitur, comite sorore sacros hymnos, & cantica spiritualia psallens, ad ostium basilicæ S. Genitricis Dei Mariæ, quam in arcem sedis fundauerat, eis occurrat obviam; moxq; ut ferratas acies aspexit, ante templi forēs, circumfusas, manu silentium petens, hæc dixit: O nutibus diuinis ministra forisudo, quare contra humana conditionis modum victoriam vestra dignitatis in rabiem conuertitis? Nam veri iuris titulus quondam nobiliū bellatorum inscriptus erat:

Virgil lib. 6.  
Æneid.

Parcere subiectis, & debellare superbos.  
Ecce plebs Christiana de se humilis, & deuota, vestris in conspectibus prostrata, remissionem peccatorum usque ad mortem obediens expectat: pœnitentiam & vos pro scelere vestro Deum verum agnoscentes: no fortè indignatio eius, quæ per vos alijs fit ad correptionem salutis, vobis fiat stipendium æternæ damnationis. Quod si oues meas, persequent ante impietate, queritis, trucidate me primum, & pro ipsis victimâ  
diuina

Cap. VII. Rhemensium exemplo demonstratur, quid possit satisfactio. ac

diuina maiestati libate, ut pariter caelesti beatitudine digni mereamur inueniri: Hu dicitis: cum in oratione prostratus hanc versiculum Episcopus decantaret: Adhuc panis in seno anima mea, continuo illi gladiatori sequente, capite truncato, verbum sanctitatis ab ore decollati non desistit, sed immortalitatis sententiam, quam pectus adimplendo impetrauit: dicens, viuifica me secundum verbum tuum. Sic cecidit hostia Deo grata. Psal. 118.

Fratre occiso, soror Eutropia, velut Christiana aliqua astitit Camilla, atque è tota multitudine, sideris cuiusdam instar emicuit. Cuius heroicum pectus, & virginei oris gratia, ipsum barbarorum impetum stitit, oculosq; rapuit, celeste quiddam in humana forma admirantium. Sensit prudens virgo, quod res erat, nempe impiam crudelitatem circa se mitigatam; speciemq; suam litibus paganorum reseruatam. Quis igitur maluit immanitatem, quam libidinem barbarorum pati, consilium in arena cepit, ad fratris sui interfectorem conuersa, sibi ablandientem imperterrita voce, *Hecus, inquebat, tyranne crudelis, magnum Dei virum indignis manibus ingulasti, & me tibi abutiendam reseruas? Non ita fiet: diuina namq; te sententia damnat.* Dixit, & à Deo acta, repentino saltu in eum insiliit, martyriumq; non ambiens, sed extorquens, neque muliebri virtute, sed diuina vltione in palpebras eius vtraq; manu inuolauit, quas vnà cum oculis stirpitus euulsit. Quo facinore incitati hostes, strictis vndique ensibus in eam ruerunt, milleq; plagis confossam, sed pudicitia integra, fratri hostiam alteram addiderunt. Generosum hoc feminae factum ceteros ciues ita animauit, vt omnes vellent & pro expiatione peccatorum suorum, & pro nomine Christi, etiam ipsi sanguinem profundere. Quod & factum est. Nam extemplo omnes, qui ad sacram aedem confugerant, & qui in plateis inuenti fuerant, & quotquot se in latibulis absconderant, in publicum protracti, concisi, mactati sunt.

Animadaertite nunc, quam vtile, & Deo gratum sit sacrificium, si vel illa mala, quae nobis alioqui inutilia accidunt, saltem patienter toleramus, Deoq; pro peccatis nostris offerimus; praesertim si mala nobis inferantur ab hoste religionis inimico. Expleta dirissima caede, & vniuersa ciuitate Rhemensis sacro martyrum

VI.  
S. EUTROPIAE  
ET CIVIVM  
CRVDELIS  
MORS.

VII.  
ETIAM NE-  
CESSARIA MA-  
LA PATIENTER  
TOLERATA, &  
DEO PRO SA-  
TISFACTIONE  
ACCERTATA.

tyrum ſanguine inundante, Attilæ milites terror ſubitus inuaſit, oculis non minùs quàm auribus eorum immiſſus. Viderunt enim acies cæleſtes contra ſe dimicantes. Eccleſia autem aded horribili ſonitu reboabat, vt eum ferre ferocientes non poſſent, ſed illico in fugam conijcerentur, prædis ſpolijsque omnibus poſt ſe relictis. Putaſſes victos, non victores, ita ſine ordine, ſine lege omnes, per compita, quàm ocylſimè diffugerunt. Erat ergo tunc ſola, atque apertis portis incuſtodita ciuitas. Reliqui ciues, qui ad inuia montium ſe ſe receperant, interea & ipſi pœnitentiam agebant, ieiunijs atque orationibus & lachrymis Deum placantes. Illis igitur expectantibus, vt fumum de incenſa vrbe ſurgentem viderent, planè in contrarium aliquid accidit. Perſpicuè enim deprehenderunt, ſanctorum martyrum corpora inibi ab Angelis cuſtodiri. Nam per noctes ſingulas, accendebantur lumina aërem longè lateque illuſtrantia; quin & ſuauiſſimæ ſymphoniæ earmina à cæleſtibus choris, ſupra ciuitatem, cantari audiebantur. Itaque tot prodigijs moniti ciues de montibus ad urbem deſcenderunt, & ſemper propiores facti, Elyſij odoris fragrantiam magis ac magis perceperunt. Vnde mirifico quodam gaudio permulſi gemitum lætitiæ miſcuerunt, ingreſſique paſſim ſtrata ſanctorum corpora inuenerunt, quibus honorificè ſepeliendis eoſ diuina prouidentia voluerat eſſe ſuperſtites. Quamquam & illud inde eſt conſecutum, vt & ipſi criminibus ſuis deſteris, poſt hæc Deo impenſiùs deſeruirent, quin & iucundiùs, quia hoſtium timore erant liberati.

VIII.

Nos quoque  
pro peccatis  
noſtris  
Deo ſatisfac-  
tionem  
præſtatur  
belli,

Dan. 3. 26.

Multa nobis congruunt, quæ in hac hiſtoria continentur. Peccarunt Rhemenſes, peccauiſus & nos, Rhemenſes iram Dei in ſe prouocârunt, prouocauimus & nos. Moniti ſunt ſæpe Rhemenſes, vt ſe ſe corrigerent, atque mores ſuos emendarent; moniti ſumus & nos. Venit tandem ira Dei ſuper illos, & ab Attila velut belli turbine afflicti ſunt; venit & ſuper nos ira Dei, quos ſatis diu bella flagellauerunt. Illi ic̄ti ſapuerunt; & quod euitare non poterant, ad ſclerum ſuorum expiationem ſuſceperunt. Et ecce vna morte pœnitentes, & martyres facti ſunt. Nos quoque vndique ab armatis ſepti, cum tribus pueris dicamus: *Benedictus es Domine Deus patrum noſtrorum, & laudabilis & glorioſus.*

memor



Cap. VII. Rhemensium exemplo demonstratur, quid possit satisfactio. *ag*  
 momentum in sacula: quia iustus es in omnibus, quae fecisti nobis, &  
 uniuersa opera tua uera, & uia tua recta, & omnia iudicia tua uera.  
 Iudicia enim uera fecisti, iuxta omnia, quae induxisti super nos, & su-  
 per ciuitatem sanctam patrum nostrorum Ierusalem: quia in ueritate,  
 & in iudicio, induxisti omnia haec propter peccata nostra. Peccauimus  
 enim, & iniquè egimus recedentes a te: & deliquimus in omnibus: &  
 praecepta tua non audiuimus, nec obseruauimus, nec fecimus sicut pra-  
 seperas nobis, ut bene nobis esset. Hoc agnoscendum est primò, ut  
 & S. Nicasius uoluit à populo Rhemenli agnosci, immitti scilicet  
 et talia mala à Deo in poenam criminum nostrorum. Crimina  
 diluenda sunt, ad quod tria pertinent. Ut enim corde, ore, ope-  
 re Deum offendimus, ita eodem ordine eandem placamus; cor-  
 de per contritionem, ore per confessionem, opere per satisfactio-  
 nem. Neque enim si uel hominem laesisti, satis est dolere de eo  
 laeso, aut fateri, quòd eum laeseris, sed etiam compensandum est  
 damnum illatum. Vnde D. Chrysostomus ait: *Perfecta poenitan-*  
*tia cogit peccatorem omnia libenter ferre: in corde eius contritio, in ore*  
*confessio, in opere tota humilitas.* Satisfactio autem haec exigitur,  
 quia Deus non solum misericors, uerum etiam iustus est, *faciens*  
*miseri cordias Dominus, & iudicium omnibus iniurias patientibus;*  
*atq; in eo misericordia & ueritas obuauerunt sibi.* Nullum itaque  
 peccatum relinquit impunitum. Si enim homo non respiscat; &  
 illud in se ipso non puniat; punit id diuina iustitia uel clementer  
 in hac uita, uel condignè in altera. *Nihil aliud agit, quem uera-*  
*citer poenitet,* ait S. Augustinus, *nisi ut id, quod mali fecerit impuni-*  
*tum esse non finat: eo quippe modo sibi non parcenti ille parcat, cuius al-*  
*tum iustumq; iudicium nullus contemptor euadit.* Et natura docet,  
 omni culpae poenam deberi, maximè si grauis sit; quod enim in  
 priuatis Rebus publicis fit, ut per leges, & iustitiam, ciues coër-  
 ceantur; id etiam necesse est fieri in toto mundo. Neque ullus  
 est Paterfamilias, aut ullus bonus ludimagister, uel superior, qui  
 delicta subditorum poenis non castiget. *Quis filius,* inquit Apo-  
 stolus, *quem non corripit pater?* Punit ergo Deus, si nos non punia-  
 mus; & qui uerè poenitentiam agunt, se ipsos puniunt, ne à Deo  
 puniantur: aut poenam acceptant, in satisfactionem, dum pu-  
 niuntur.

S. Chryso-  
 stom. de poe-  
 nit.

Psal. 102, &  
 Psal. 84, 10

S. Augustinus  
 epist. 34.

Hebr. 12. 8

IX.

QVID, ET  
 QUOTIPLEX  
 SIT SATISFA-  
 CTIO?  
 Conc. Trid.  
 sess. 14. c. 9.

Est autem satisfactio actio, vel punitio criminum à nobis commissorum, vel sponte suscepta, vel sacerdotis arbitrio, pro gravitate delicti imposita. Quæ utraque, ut qualis sit, intelligatur, sciendum est aliam satisfactionem esse perfectam, quæ fit ad absolutam & perfectam æqualitatem, ut cum 100. Philippæi, pro 100. redduntur; aliam imperfectam, quæ fit ad æqualitatem imperfectam, ut cum quis pro 100. Philippæis satisfieri sibi patitur 50. Philippæis, quos alter solos habet. Nos Deo, in hac vita, nunquam pro peccatis in eum admissis, atque iniuria illi irrogata ex æquo possumus satisfacere, nisi interueniente gratia, adeoque nec satisfactione perfecta, cum offensa sit infinita (quia contra Deum infinitæ dignitatis) & Dei sit, quidquid Deo rependimus. omnia enim à Deo accepimus. Satisfactio igitur nostra imperfecta est; quia Deus pro immensa sua in nos pietate, voluit, ut, si post baptismum denuo peccaremus, & pœnitentiam ageremus, & fructus dignos pœnitentiæ ageremus. Itaque peccata statuuntur, per contritionem & confessionem quoad culpam; quoad pœnam autem, per satisfactionem pœnalem esse expianda. Sunt autem satisfactoria opera generatim tria, ad quæ cetera omnia reuocantur, Oratio, ieiunium, elemosyna. Per orationem bona animi Deo offerimus; per ieiunium bona corporis; per elemosynam externa bona. Per ieiunium concupiscentia carnis, per elemosynam concupiscentia oculorum, seu avaritia; per orationem superbia vitæ coercetur. Vnde ad ieiunium reuocatur, quidquid carnem affligit, ut cilicia, cineres, flagella, humicubatio. Ad elemosynam omnia opera misericordix corporalia & spiritualia: Ad orationem omnes actus religionis, ut laudes, gratiarum actiones, dolor de peccatis, confessio, fidei professio, prout sunt opera pœnalia & laboriosa; immò ipsum martyrium, quale fuit Rhemensium. Hoc est, quod vult Propheta dum ait: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu. Non sufficit moros in melius commutare, sic S. Augustinus, & à factis malis recedere, nisi etiam de ipsis, quæ facta sunt, satisfiat Deo, per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificiū, ceoperantibus elemosynis.* Hæc talia opera satisfactoria, quibus peccata à nobis commissa puniuntur, juxta Concilium Tridentinum,

Conc. Trid.  
 sess. 14. c. 13.

Isa. 1. 12.

S. August. in  
 hom. 50. hom.  
 15

Conc. Trid.  
 sess. 14. c. 9.

Cap. VII. *Rhemensium exemplo demonstratur, quid possit satisfactio. 98*  
num, vel sacerdotis arbitrio pro gravitate delicti imposita sunt, vel  
sponte suscipiuntur: quæ ut plena sint, hoc est, ut tollant omnem  
pœnam temporalem, debent exæquari gravitati peccatorum,  
iuxta illud: *Pro mensura peccati, erit & plagarium modus.*

Quod ad ea attinet quæ à sacerdote imponuntur, 1. diffi-  
cile est, ut ea pro gravitate delicti imponantur. Quid enim, aut  
quot non Infernos sæpe vnus peccator meretur; quæ autem pœ-  
na sit Inferno proportionata? 2. Olim sanè pro vno delicto ma-  
ximæ ac publicæ pœnitentiæ imponebantur; multorum annor-  
um ieiunia, peregrinationes longinquæ, tota xenodochia, tota  
monasteria inbebantur magnates ædificare; quidam ad totam vi-  
tam includebantur in cœnobis. Sed nunc, vbi plura ac maiora  
flagitia committuntur, minores vix pœnas homines subeunt.  
3. Sunt itaque qui dicant, melius esse pœnitentem mittere ad  
Purgatorium, quàm ad Infernum; quare, ne pœnitentiam maio-  
rem, quàm omnino meritis esset, penitus omittat si imponere-  
tur, clemens Confessarius, non jam pro gravitate delicti pœniten-  
tiam imponet, sed pro fragilitate confitentis: quæ eùm sit lon-  
gè minor, quàm promeruerit, id quod superest, in Purgatorium  
differtur. Heu quàm stulti sunt, qui eò pœnitentiam differre ma-  
hant; aut eum Confessarium maximè laudant, qui minimam dat  
pœnitentiam? Credite mihi, neque hic minimam dat pœniten-  
tiam, qui minimam dare videtur; neque ille minimam mauult,  
sed atrocissimam, præ leuissima eligit. Quippe minima Purgato-  
rij pœna maior est maximâ huius mundi. At quis vñquam Con-  
fessarius maximam huius mundi pœnitentiam iniunxit vlli pec-  
catori? Qui ergo prudenter agere, atque acerba illa supplicia  
præuenire volunt, non solum non negligunt pœnitentiam age-  
re, aut differunt eam in alteram vitam, verùm etiam vltro rogant  
Confessarium, ut pœnam statuatur graviorem; aut certè ipsi spon-  
te suscipiunt opera satisfactoria longè maiora, gestant cilicia, to-  
to anno certis diebus ieiunant, flagellis se exedunt, dant cleemo-  
synas, secedunt, & se includunt ad Domini passionem medi-  
tandam, vnde discant iniurias, verbera, cruciatus æquanimitè  
tolerare. *Hanc ob causam merisò dicebat Albertus Magnus, simpli-*  
*cem passionis Christi memoriam & Meditationem plus utilitatis homi-*  
*ni ad-*

Deut. 29. 28

X.

OPERA SA-  
TISFACTORIA  
ET A SACER-  
DOTE, ET  
SPONTE SUS-  
CIPENDA.

Ita B. Petrus  
Damian. ser.  
2. de S. An-  
drea.

Ludovic. de  
Pont part. 4.  
medit. §. 10.

96 Cap. VII. Rhemensium exemplo demonstratur, quid possit satisfactio, si adferre, quam si anno integro in pane & aqua ieiunaret, ac flagellis se quotidie usque ad sanguinem caderet, & Psalterium eorum quotidie recitaret: hac enim exercitia, etsi bona sint, & valde utilia, quia tamen sunt opera externa, si ita nudè exerceantur, non habent tantam vim, ad purificandum cor à suis vitijs, illudq; veritatibus ac virtutibus illustrandum, & inflammationis diuini amoris affectibus perficiendum; atq; assensu, & profunda Christi Domini nostri Passionis Meditatio, qua omnia hac efficit, additq; etiam spiritum & vitam poenitentis ipsis, & operibus externis, permouendo efficaciter ad feruentem eorum exercitationem. Quidam non ad duos vel tres, vel octo dies, sed per omnem vitam se includunt, vt poenitentiam agant, sicut Pelagia, sicut neptis Abrahami eremitæ, sicut omnes, qui in religionem aliquam ingrediantur; religionis enira status, est status poenitentia.

XI.

QUID MORIS  
IN HIS BELLIS  
ET MISERIIS  
HACEREMUS?

Præter hæc duo genera operum satisfactoriorum vel sponte scilicet susceptorum, vel à sacerdote impositorum, historia supra commemorata, tertium genus docet, scilicet illam ipsam poenam, quam Deus in hac vita, etiam inuitis infligit, si illam, dum euitare non possumus, saltem patienter de manu Dei suscipiamus, atque ad eius gloriam, pro peccatis nostris, offeramus. Rhemensibus non imposuit S. Nicasius hostes, nec ipsi eos sponte susceperunt, pro poenitentia; sed Deus eos in poenam illis immisit; & quia benignus est, immisit, vt castigati resipiscerent. Quis igitur percussus sapuerunt, atque ex necessitate virtutem fecerunt: mortem ipsam & mille terrores, ac pericula patienter ferentes, ecce Deus, ea ipsa damna, quæ illis Attila intulit, in satisfactionem, immo in martyrij meritum suscepit; & tam illustribus miraculis eam satisfactionem confirmauit. Atque huc oratio tendit. Peccauimus omnes, vt aliàs ostendi. Moniti toties nondum ad poenitentiam confugimus. Potuiffemus fortasse iram Dei à nobis auertere, sicut Achab rex, de quo sponte sua cilicium induente, & in sacco dormiente Dominus ad Eliam dixit: *Nonne vidisti Achab humilitatum coram me? quia igitur humiliatus est mea causa, non inducam malum in diebus eius.* Quia si nos ipsos diiudicauerimus, non utiq; iudicauerimur à Domino, vt ait Apostolus. Quando igitur nos ipsos non diiudicauimus, nonne meritò nos Dominus iudicauit?

3 Reg 30

1. Cor. 11. 31

iudicavit? sicut Gallos? Itaque iam in vicinia habemus hostem; iam armis vndiq; cingimur; iam hostilia experimur; iam plurimi adsunt spoliati, domo pulsi, in exilium acti, percussi, depauperati, ad incitras redacti, pleni lachrymis, pleni calamitatibus, viri dolorum, mulieres lamentabiles, infantes miserabiles. Quid faciemus? Hæc volentibus nolentibus æquè sunt patienda. Si simus impatientes, si blasphememus, si desperemus, rem non faciemus meliorem. Impatientia nullius doloris remedium est: sed omne malum reddit grauius, & duplicat; & insuper meritum tollit, ac infernum meretur. Quòd si omnia mala, tamquam flagella à Domino immissa, acceptemus, non augebimus illa, sed leuiùs sentiemus, quia ià non animo reluctantè, sed volente patiemur; quin & diuinam iram placabimus, vt Rhemenses; & veniam impetrabimus; & peccata discemus detestari, quæ harum pœnarum causa fuerunt; denique & Christo, qui pro peccatis nostris satisfecit (ex quo omnis nostra sufficientia) si satisfaciendo patimur, conformes efficiemur, & spem nostram firmabimus. *Nam si compatimur, & conglorificabimur.*

Rom. 8. 17.

Cùm enim Christus Dominus passus sit pro peccatis nostris, iniquum esset, si nos ipsi pro peccatis nostris nihil pati vellemus. *Christus passus est pro nobis*, ait S. Petrus: *vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Et S. Paulus promittit nos cohæredes fore Christi, si tamen compatimur, vt & conglorificemur. *Non omnia nostra Christus expleuit*, ait S. Gregorius. *Per crucem quidem suam omnes redemit, sed remansit, vt qui redimsi & regnare cum eo nititur, crucifigatur. Hoc profectò residuum viderat, qui dicebat: Si compatimur, & conregnabimus: quasi dicat: Quod expleuit Christus, non valet nisi ei, qui id, quod remansit, adimplet.* Quapropter Apostolus ait: *Adimpleo ea, qua desunt Passionum Christi in corpore meo.* Quis autem cum Christo non velit pati? Si rex quispiam innocens, pro graui delicto serui sui, ita vellet satisfacere, vt diceret: ecce vnà ibimus, vnà cædemur, ita tamen vt tu seruus nocens non nisi vnum ictum sustineas, donec mihi mille infligantur, quis seruus eiusmodi pœnam detrectaret? Et tamen Christus hoc facit; rex tremendæ maiestatis, infinitæ potentæ, coram quo Angeli faciem suam tegunt, cæli & terræ moderator, coram quo om-

XII.

CHRISTO PATIENTI NOS ESSE CONFORMANDOS.

2. Pet. 1. 21.

Rom. 8. 17.

S. Greg. in c. 9. lib. 1. Reg.

Col. 1. 24.

N

nes

nes mundi Reges & Monarchæ nihil sunt. Ille patitur tormenta crudelissima, dolores, quibus non inueniuntur in hac vita pares; iniurias, quales nemo alius vñquam tolerauit. Et sanè pro seruo nequissimo, ingratisimo, pro mancipio rebelli, pro terræ vermiculo, cuius non indiget. Vt eum eripiat ex Oceano calamitatum, & omnis boni thesauris in cælo locupletet. Idq; summo amoris affectu. An nō & nos, hoc quidquid est, mali, quod ex bello germinat, pro peccatis nostris patiemur? & vel hoc temporis momento offeremus, dicentes: Accipe omnia Deus, pro peccatis meis? Iustus es, merui & hæc, & plura. Atque vel hinc agnoscemus, quantum oderis peccata, quæ in hac vita tam seuerè punis; immo quæ tam atrociter plectis in Filio tuo vnigenito: numquam enim manifestius ostendisti, quantum detesteris peccata, quàm quando illi, quem infinito amore prosequeris, & tamquam alterum te diligis, innocentissimo, qui te numquam offendit, sed tibi in omnibus obtemperauit, tantum malorum imposuisti, neque acquieuisisti, donec eum afflictissimum redderes, plenum plagis & doloribus inter duos latrones pendentem; non alia causa, quàm quòd in se suscepit pœnam nostrorum peccatorum. Quòd si tam immani odio atq; implacabili peccatum persequeris, vt illud in Filio tuo vnico, innocente, tam terribili modo punias, idcirco tantum, quia pro seruo inutili fideiussit, quanto odio peccatum in ipso peccante seruo persequeris? An non dignissimum est, vt ille quoque aliquid, immo multum patiatur? vt tibi satisfaciat? Vide eolumnæ alligatum & flagris concisum; vide spinis caput conuulneratum, vide, mi peccator, in infami ligno suspensum verum Deum, cæli & terræ Conditorem supremumq; omnium Dominum; tua peccata sunt causa tantorum cruciatuum, & tam diræ mortis. Omnia hæc perfert, vt te à peccatis tuis emundet, vt pœnam exoluat, quam tu ob illa diuinæ iustitiæ debebas, & vt tu eum tandem amando, ad beatitudinis tuæ fruitionem perducaris.

XIII.  
 QVAM DVRI  
 SINT, QVI  
 EXEMPLO  
 CHRISTI NON  
 MOLLIVNTVR?

Iphis Anaxareten eum necquicquã amaret, ad fores eius se suspendisse fertur; quod funus cum illa siccis oculis aspexisset, fingitur in saxum esse commutata. Christus amore tui, ô anima peccatrix, quia eum redamare noluisi, in monte Caluarie suspensus est.

Cap. VII. Rhemensium exemplo demonstratur, quid possit satisfactio? 99

est. Et tu siccis eum oculis intueris? non erubescis? non doles? Ouid. lib. 14  
Metam.  
peccatorum tuorum veniam non petis? nec statuis scelera tua  
pœnitentijs expiare? ô saxum! ô durum pectus! Diruptæ sunt  
petræ in morte Saluatoris, & aperta sunt monumenta mortuo-  
rum. Rumpere, & dirumpere etiam tu, ô adamantinum pectus,  
quando vides, Conditorem ac Dominum tuum tua causa hæc  
sustinuisse, æquissimum profectò est, vt & tu illius causa aliquid  
patiaris; præsertim, cum ille ob tua, non sua mala patiat, par est  
vtique, vt & tu aliquid conferas; altoqui meritò illud tibi erit  
metuendum: *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Luc. 23. 31.  
Si enim diuina iustitia, quæ nihil punit vltra meritum, tanto tor-  
mentorum cruciatuumque excessu castigat aliena peccata hume-  
ris innocentissimi Filij imposita, quo rigore illa puniet in reo de-  
prehensa? Vtinam hæc seria mente apprehenderemus! nulla no-  
bis nimis grauis pœnitentia, vel sponte suscepta, vel à sacerdote  
imposita, vel à Deo immissa videretur; nullum nimis asperum  
vitæ aut mortis genus esset, quod non pro peccatorum no-  
strorum satisfactione, & pro Redemptoris no-  
stri honore ac nomine subi-

remus.

Omnia ad maiorem DEI gloriam, & con-  
uersionem peccatorum.



N 2

INDEX